

cipium erat, quibus manifestiores non alia pro se veritas unquam habuit, & præpedita tamen per annos plusculos fuit, quò minùs eos in evehenda arte Medica fructus maturè ferret, quos ferre tandem seriùs cœpit, postquam impetus ex affectu in Præceptores ac recepta jam artis fundamenta nimio contradicentium remiferat.

III. Quàm iniquæ porrò & immoderatæ in admetiendis antesignano suo affectisq; laudibus, & econtrà in elevandis adversariorum aut diversa sentientium virtutibus, aggravandisq; & connumerandis magno studio, maliciosè affingendis, & contumeliosè deridendis, execrandisq; nonnunquam erroribus, absurditatibus, impietatibus &c. sectæ ferè quævis ævo quovis fuerint, omnium sæculorum historiæ ipsaque Sectariorum publica monumenta satis loquuntur. Equidem uti hautquaquam invidemus Aristoteli magna quædam Virorum magnorum encomia, quæ congesta in locum unum videre licet ap. Vossium de Sectis cap. XVII. & Hornium in Hist. Philos. Lib. III. Cap. XV. neq; de nihilo prorsus existimamus ea, quæ de nimio ipsius gloriæ studio, quæque inde manârunt, alios suggillandi, majorum inventa & ingeniosa cogitata supprimendi aut pro suis venditandi, plerorumq; Philosophorum, ipsius etiam Præceptoris PLATONIS, sententias studiosè pervertendi, similibusq; vitiis, iidem narrant cum Viris cordatis benè multis aliis; ita profectò enormiter excesserunt hodieq; excedunt, & adversæ Peripato Sectæ contemnendo, mordendo ubiq; convitiis item & calumniis onerando Philosophum ejusq; affectas, & jurata ipsi turba extollendo ejus omnia super alia omnia, ipsius effata tantùm non infallibilibus sacrarum literarum testimoniis æquiparando, omnes omnium sæculorum Philosophos præ ipso vilipendendo, eos autem, qui contradicere alicubi ejus dictatis ausi fuerint, diris devovendo & hostiliter persequendo. Utenim eorum stultitiam silentio nunc prætereamus, qui